

**05**  
**A**  
**1596**





Q. D. B. V.

30

DE

SUSCEPTO-  
RIBUS,

EX

HISTORIA ECCLESIASTICA,

*Consentiente Amplissima Facultate*

*Philosophica*

disputabunt

PRÆSES

M. ANDREAS SCHULERUS,

Bistr. Transilvanus.

&

RESPONDENS

JOHANNES ABRAHAMI, Prasmar. Transilv.

S.S. Theol. & Phil. Stud.

*Ad. d. xiiii. Octobr. Anno MDC LXXXVIII.*

*horis Pomerid.*

L. C.



WITTENBERGÆ,

Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

30

311 2  
HISTORIA ECCLESIASTICA



05 A 1596





## I. N. J.

### I.



## Tempore nascentis Ecclesiae

simpliciores fuisse ritus, vel ipsa mysterio-  
rum divinorum, instrumento Novi Foederis  
descripta, institutio docet, ubi praeter neces-  
saria sacramentorum Baptismi & Evcha-  
ristiae, nihil, aut certe parum eorum quae  
hodie Ecclesiae consuetudo recipit ac reti-  
net, legitur: Quippe quod illi sancti homines intelligerent, Di-  
sciplinae Christianae modum esse talem, qui Dei cultum ab externis  
ad interiora, a corpore ad animum revocans, totum in vera ad-  
versus Deum pietate, adversus homines fide, justitia, ac hone-  
state, uno verbo, in summa morum innocentia constituit. At  
reliqui ritus, non causa necessitatis, sed propter decorum intro-  
ducti, diuturna & tacita tandem usurpatione confirmati sunt, *Con-  
suetudo enim, inquit Seneca, rebus affert constantiam.* Cum mul-  
ti sive titulo libertatis Christianae, sive innata & communi qua-  
dam hominum vanitate, simplicitatem divini instituti fastidien-  
te, abrepti, mentem ad excogitandos hosce ritus convertisse vi-  
deantur. De quo argumento, imprimis vero de Baptismi simplicita-  
te scite scribit Tertullianus de Bap. Cap. 2. *Nihil adeo est quod obdurat  
mentes hominum, quam simplicitas Divinorum operum; quae in actu vide-  
tur & magnificentia, quae in effectu repromittitur, ut hic quoque, (in Ba-  
ptismo) quoniam tanta simplicitate sine pompa sine apparatu novo ali-  
quo, denique sine sumptu, homo in aquam demissus & inter pauca ver-  
ba tinctus, non multo, vel nihilo mundior resurgit, eo incredibilis  
estimetur aeternitas.* Mentior si non est contrario Idolorum solemnia,

A 2

vel

vel arcana de suggestu & apparatu, deque sumptu fidem & au-  
toritatem sibi exstruunt. Haftenus Tertullianus: quod etiam  
fateatur Strabo, ejus celebrationem gradatim per temporum aug-  
menta in majus excrevisse. De Reb. Ecclesiasticis Cap. 26. Mox eo  
tandem excrevit rituum numerus (vid. Bellarminus de Baptismo  
cap. 25. 26. 27. crescente inprimis vulgi superstitione ut sua sese  
multitudine subverterent: alii verò, ut moribus Christianorum  
convenientes, suam se pietate & puritate commendarent. Ex  
plurimis placuit unum, eumque laudandum depromere & placito  
examine subicere, ac tradere Historiam atque origines Suscepto-  
rum.

## II.

Susceptorum consuetudinem *ἀναδοχῶν* nomine apud Græcos  
in hoc argumento comuniori tradit Dionysius Areopagita de Hie-  
rarch. Eccles. Cap. 2. Sect. 2. §. 3. pag. 251. item cap. 7. Sect. 11. pag. 418.  
Edit. Corderiana. Hos imitati Latini scriptores, rem *susceptoris* no-  
mine expresserunt. Victor Uticensis Lib. 2. de Persecut. Wandalica  
denominatone ducta, quod hi infantes baptizatos e fonte sacro  
levarent, aut si adultioris ætatis essent, susciperent ac tuerentur.  
A diversis vero officiis diversa quoque nomina sortiti sunt: Ju-  
stinus Martyr vocat *πρωτοφροντες τὰ βαπτιστῶν πατρὶς καὶ*  
Quest. 56. Tertullianus dicit Sponsors loc. cit. cap. 18. Augusti-  
nus Fide Jussores appellat Sermon 116. item 163. it. 215. conf. Li-  
ber de Pecc. Merit. & Remiss. peccat. Offerentes idem loc. cit.  
Lib. I. cap. 3. item Fidei Doctores Epist. 23. ad Bonifac. *σύντρονον*  
Euchologium dicit. Adducendi vocabulo utitur Cyrillus Alexan-  
drinus ad vers. 26. Cap. 21. Job. pag. 683. Nicetas vocas *πνευματι-  
κῶν πατέρα*. in Respons. Strabo quoque Patres & Matres spiritua-  
les appellat loc. cit. Plura non addo, quippe quod plurima alia  
nomina sequiorum sint temporum, quale & illud vulgare qui-  
dem, rudis tamen, & inficetæ latinitatis nomen *Compatris* est,  
Judice Clariss. sui seculi Schurzfleischio.

## III.

Origines Susceptorum in Ecclesia facilius eadem est inqvi-  
rere, quam certum fixumque initium iis vindicare, quippe quod  
in

in illud sciendi desiderio trahamur quasi & feramur, at hoc consuetudine obscurum redditur: *In iis enim, quae paulatim nascuntur momenta temporum servari non possunt, initia non semper, imo ferè nunquam percipiuntur eorum, quae non repentina mutatio, manifesta statim novitate, sed consuetudo, induxit.* Ut loquitur *Abbas, Demonstrat. Anti-Christi Cap. VII. p. 156.* Haec enim & similes res, usu admittente, diuturnitate confirmantur. At vel eo etiam nomine obscuriora sunt principia hujus ritus, quod ab auctoribus certo non definiantur, quin imò inter tot dissensus confundantur: Alii enim rem aequalem temporibus Apostolorum, aut saltem ab his usurpandam traditam esse affirmant, alii qui numero potius, quam argumentis sese tueri volunt, Hyginum autorem pronunciant: Ut nihil dicam de iis, qui usum rei ex ipsa antiquissima Hebraeorum praxi traduxerunt.

#### IV.

Quamquam autem nos id facile largiri possumus, occasionem Christianos sumsisse, instituendi susceptorum ordinem, ab antiquo Judaeorum ritu, quo circumcisionis testes accersebant, id verò in praesens causae meae nihil affert praesidii, quippe cum ego in eo elaborem, definire ipsas origines jam instauratae per Christum Ecclesiae, sive eas occasione consuetudinis Judaicae receperint, sive sua sponte introduxerint. Neque etiam puto tam audaces futuros sententiae hujus patronos, quod assererent, continuo usu, nec interrupta praxi rem ad novissima usque Christianorum temporum ita gestam esse: Nullo enim indubitato & vero antiquitatis praesidio assertioni suae fidem facere possunt. Lucas certe historiae Actorum Apostolicorum auctor illud non praetermissurus erat, si quid tale contigisset, meminisset quidem aliquot millium baptizatorum, Susceptorum verò non meminisset: Accedit hoc, quod non planè & per omnia cum Judaeorum more conveniat.

#### V.

Bellarminus, quamvis id dicere non ausus fuerit, videtur tamen ritum hunc à temporibus Apostolorum repetere: citat nam-

quæ pro antiquitate susceptorum Dionysium Areopagitam, eum-  
quæ primo loco & ante Tertullianum collocat, imò librum hunc  
quem citat, esse genuinum viri Apostolici, idem Bellarminus ma-  
gno labore conatur evincere *Lib. 2. de Monachis Cap. 5. §. Faten-  
tur Magdeburgenses.* Hinc concludendum necessè est Bellarmi-  
num statuere ritum hunc ab ævo Apostolorum esse deducendum,  
alioquin certe autor ipse sibi tacitè contradicet. Magis candidè  
rem agit Joh: Stephanus Durantus, hic enim expressè fatetur,  
instituti ultimam originem ab ipsa Apostolorum traditione esse  
repetendam. *Lib. 1. de ritib. Eccles. p. 92.* deceptus procul dubio  
eadem Dionysii auctoritate, qui tamen, præter id quod Librum sup-  
posititium esse probant Viri Critici post *Laurentium Vallam & E-  
rasmum, Robertus Cocus in Censura. Rivetus in Critico S.* nihil  
omnino de susceptorum origine commemoravit.

## VI.

Cum itaq; hæc unica Dionysii auctoritas vapulet, tum sua spontè  
quoq; ruit illa Bellarmini, & Duranti, aliorumq; opinio, quibus verò  
videtur, ab Hygino petendam esse originem, si Gratiani Dece-  
torum compilatoris auctoritate sese tueri volunt, qui verba ci-  
tata §. 8. Hygino tribuit, quæ tamen non Hygini, sed impostori  
cujusdam sequioris ævi esse facilè patet, quod nullibi alii illo-  
rum temporum scriptores ejusmodi susceptorum meminerint,  
quales tradit Gratianus. Deniq; id maximum imposturæ *negli-  
gior* esse arbitror, quod Confirmationis usus qualis iis tempori-  
bus fuit, non conveniat cum susceptoribus, quippe quod confir-  
matio simul cum Baptismo exhiberetur, unde non opus erat uni  
actui duum generum susceptores imponere. De hoc vid. *Blondellus in  
Pseudo-Isidoro.* Platina in Hygino idem tradit: *Voluit unum sal-  
tem Patrum unamve Matrimam* (ita barbarè loquitur) *baptis-  
mo interesse;* qui ad eandem procul dubio Gratiani auctoritatem  
recurrat, aliam enim non affert, de qua quid habendum sit jam  
dictum est. *Conf. Cocus l. c. p. m. 61.*

## VII. Ex



Ex dictis illud liquet, terminum instituti non facile defini-  
 fi posse, quippe quod horum testimoniis non omnis quidem fi-  
 des deneganda, neque tamen ii quos tradunt ritus; cum aucto-  
 ribus quos præ se ferunt æquales esse certò credendum. Rem  
 equidem justè expenderemus, si illud ipsum *Questionum & Re-*  
*sponsorum Justinii Martyris* opus à dubitatione vindicari posset,  
 cujus martyris tamen imposturam jam diu animadverterunt do-  
 cti Viri, fraudesque detexerunt Rivetus l. c. Cocus l. c. quibus suf-  
 fragatur Schurzfleischius in Colleg. MS Cto, Unde id nobis relin-  
 quitur, aliunde quærendum esse causæ præsidium, idque primum  
 certissimumque prodit *Tertullianus*, accuratissimus rituum tem-  
 poris sui interpret, qui vixit sub severo Augustissimo Imperatore  
 & labentis seculi II. atque ineuntis III. tempora attingit, Tertul-  
 lianus inquam primus est qui tradit ordinem hunc susceptorum,  
 in eo autem negligentior, quod nihil de origine ejus commen-  
 tatus sit, quem vide *Lib. de Baptismo Cap. XVIII.* Quod argu-  
 mento esse potest, institutum hoc ultra alterum Christi seculum  
 non esse porrigendum, ut ut id dici certò nequeat, quo anno,  
 aut quo auctore coeperit, diu ne, an parum ante Tertullianum  
 fuerit introductum. Quam sententiam, quancquam probabilem  
 saltem ( ut dicitur ) suis rationibus non planè destitutam, cir-  
 cumstantiæ temporis quoque juvant, videmus enim Ecclesiam  
 cœtumque sanctiorem sub hæc tempora gravissimis vexationibus  
 laborasse, ut nulla non crudelitate in eum animadverteretur. Cre-  
 scente enim in dies Christianorum numero, vindictâ quoque se-  
 veriore eos comprimebant, quod abunde testatur crudelitas Im-  
 peratorum Trajani, Antonini, Severi; Martyrum quoque exem-  
 pla, Polycarpi, Ignatii, Justinii, Hygini, aliorumque. Quibus re-  
 bus tandem effectum est, ut liberos Christianorum, Parentibus  
 suis orbatos Gentiles fraude malisque artibus circumvenirent.  
 Hinc ut pii omne periculum vel amittendæ, vel saltem premen-  
 dæ religionis Christianæ Gentilibus eriperent, consilium de piis  
 susceptoribus inierunt, quò via omnis evertendi cœtus divinio-  
 ris hostibus præcluderetur. Inprimis autem ea facti ratio sube-  
 rat;

rat, si fortè eveniret, ut Parentes repente tyrannide grastantium Imperantium infantibus subtraherentur, haberent qui & in Divinis mandatis eos instruerent & testimonium de suscepto Baptismo adolescentibus perhiberent, ut eò facilius insidiæ diaboli, occasionem nocendi quærentis, evitarentur. Non pauci quoque his temporibus tantâ Martyrum constantia & zelo permoti sunt, ut pietatem & religionem eorum sibi in exemplum verterent, divini aliquid in tantis vexationibus ferendis subesse rati, ejerataque Gentilium simplicitate, Christianorum cœtui adjungerentur, quorum imbecillitati Constitutis susceptoribus, maturè subveniebant, qui deinde fidem suam æquali exemplo confirmare non erubuerunt.

### V I I I.

Illud autem non omittendum est, Susceptores tribus in casibus datos esse, nempe in rudiorum institutione sive *Catechisatione*, in Baptismo, denique in Confirmatione, quorum singuli actus à singulis sunt peracti, nisi casus necessitatis legem attemperaret. De quo vid. *Gratianus D. de Consecrat. D. 4. Cap. 100. in Catechismo, in Baptismo, & in Confirmatione unus Patrinus fieri potest, si necessitas cogit, non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.* conf. *Polyd. Vergil. de Inventor. rerum lib. 4. Cap. 4. pag. m. 325.* Priores duos modos esse antiquissimos constat, quoad primum ex *Concil. Laod. celebrato Anno 364. sub Constantino Can. 46. it. ex Tertulliano cap. 6. de Pœnit. cap. 20. de Baptis.* Quod alterum spectat, progressus docebit. Ultimum vero illis esse posteriorem, vel eo argumento demonstrari potest, quia Confirmatio olim ritus baptismo superadditus non Sacramentum fuit, *de pristina disciplina ducta, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant, ex quo Aaron à Mose unctus est, ut ait Tertullianus de Baptismo Cap. 7. eo conf. Dallæus de Confirmatione.* Unde illud quoque sequitur, susceptores alios infantibus, adultis quoque; alios esse datos, quorum etiam diversæ erant officii partes, in eo tamen utriusque conveniebant, quod stipularentur, votoque se obligarent, se velle novitium in  
omni

omni Pietate erudire, ut cognoscat vim & veritatem Sacramen-  
torum, ad Dei gloriam & Vitam æternam. de quo in seq.

IX.

Consilium verò instituendorum Susceptorum omne ad Pic-  
tatem & doctrinæ Christianæ confirmationem pertinebat, quippe  
cum tanta religione veterum fidelium animi imbuerentur, ut con-  
sultum esse faciliè animadverterent, impotentiam ætatis puerilis  
doctrinæ Magistris esse sublevandam, qui *χεραγωγοὶ* sive ducto-  
rum instar viam consequendæ salutis æternæ monstrarent. Ve-  
rum non infantibus solum, sed adultis etiam dabant susceptores,  
quod apparet ex Dionysio Areopagita *l. c. cap. 2. S. 2. p. 251.* *Quis-*  
*quis autem horum, inquit, munerum verè supermundalium sanctè*  
*particeps esse cupit, accedens quempiam sacris initiatum, flagitatq;*  
*ab eo, ut ad sacrarum Presidem deducatur, ipse verò integrè cun-*  
*ctis sanctionibus obsequi pollicetur, rogatq; sue cum adductionis,*  
*tum totius exinde vitæ curam suscipere ne dedignetur.* Hi enim  
nuper ex cœtu gentilium ad Christi sacra venientes, ætate illis  
quidem majores, in doctrina autem cœlesti æquè rudes erant, qui-  
bus institutione opus erat ad respondendum antequam initiaren-  
tur, & confessionem fidei edendam, quod in adulto baptizando re-  
quiritura *Dionys. Areopag. l. c. S. 5. p. 252.* Tum ipsum juxta in-  
structionem fidejussoris infidelitatem pristinam veriq; boni ignoran-  
tiam, nec non vitæ Spiritualis privationem detestantem, atque  
sancta ejus intercessione Dei divinorumq; compotem fieri postu-  
lantem pramonet, integrè illi ad Deum accedendum esse, utpote  
prorsus perfectum & immaculatum: *Propositaq; divina vivendi*  
*norma, nec non interrogatum, num ex ea victurus esset? assipienti*  
*manum capiti imponit &c. conf. Pachymeres in Paraphr. de Adul-*  
*tis etiam intelligendus est locus in Decretis de Consecratione D. 4.*  
*c. 73.*

X.

Quæ hæcenus dicta sunt de Infantum & Adultorum Susce-  
ptoribus, ea simul innuunt officium non apud utrosque idem fuis-  
se, adulti enim qui erant, ii ante Baptismum susceptum à susce-

B

pto.

ptoribus suis informabantur, quò tanto promptiores ad respondendum efficerentur, in quam rem extat *Canon 47. Concil. Laod.* Denique ad Sacerdotem ducebant, precabantur ut copia Baptismi petenti concederetur, quorsum pertinent verba Dionysii l. c. §. 5. *Veruntamen benevolè tandem simul petitioni ejus (scil. Catechumeni) satis se facturum annuit (nempe Susceptor) ipsumq; suscipiens ducit ad summum Sacerdotem.* In eo tamen utriq; conveniebant, in quo & maxima pars officii consistebat, nempe ut infantes recta in Deum fide educarentur à susceptoribus, totiq; hi in id incumberent, quo veritatem doctrinæ cœlestis agnoscerent, imo etiam vitæ Civilis curam haberent, hos Patrum instar tuerentur ac defenderent: quod etiam requirit Dionysius Areopagita l. c. *cap. ult. §. II. p. 418. Placuit, inquit, Puerulos hoc sancto modo ad Baptismum admitti, ut oblatis Parvuli Parentes naturales filium uni ex fidelibus tradant, qui præclarè in divinis rebus puerum erudiat, sub cuius deinceps cura sit tanquam sub divino Patre, sanctaq; salutis Susceptore.* *Conf. Synod. Mogunt. Can. 47. Augustin. Serm. 222. post Pascha. Vos ante omnia tam viros quam mulieres admoneo, qui filios in Baptismo suscepistis, ut vos cognoscatis fidejussores apud Deum pro illis extitisse, quos visi estis è sacro fonte suscipere: Ideoq; semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant charitatem teneant, apud Gratian. D. 4. de Consecrat. c. 105, conf. Sermones & loc. supra §. 2. cit.*

## XI.

Ad infantes verò id imprimis pertinebat, quo etiam maxime differebant ab adultis, quod pro iis responsionem depromerent confessionemq; fidei suæ ederent susceptores, Satanæque & omnium ejus operum abrenunciations profiterentur. Quorsum vid. *Gratian. D. 4. de Consecr. Can. 28. si parvuli sunt, vel bebetes, qui doctrinam non capiunt, respondeant pro illis qui offerunt, juxta morem baptizandi & sic manus impositione & chrismatè inuncti admittantur.* Eadem tradit Dionysius Areopagita l. c. *bunc itaque (scil. susceptorem) Antistes sanctè promittentem se Puerum ad sanctam vitam informaturum, jubet profiteri abrenunciations,*

nes, sacrasq; Profusiones, &c. conf. Pachymeres in *Paraphr. se. Cirill. loc. supr. cit.* Illud autem usu venire solebat, ut nomen quoque baptizato eo simul tempore imponeretur, & quidem *convenienter* (sunt verba Georg. Calixti in Concordia Evangelica *Lib. I. cap. 9. p. 52.*) ut olim in circumcissione, ita hodie in Baptismo nomina infantibus induuntur, quod ipsi tum Deo nomen dare, & obsequium promittere incipiant, adeoque ex Potestate tenebrarum, in Potestatem Dei, in cuius etiam gratiam tutelamq; referuntur, transeant. De Gentilium vero imponendi nominis consuetudine in primis vid. Rosinus *Antiq. Rom. Lib. 2. c. 19. p. 384. B.*

## XII.

Ex quibus facile colligere possumus, non inutiles studio sollicitos fuisse Patres, dum in eo maxime operam ponerent, ut dignos tanto officio homines perquirent, qui sese & morum probitate, & religionis in primis sinceritate commendarent, tales etiam maxime desiderabant, ut ii, qui munus suscipiendi baptizatos è sacro fonte imponi sibi paterentur, ante omnia notitia capitum doctrinae Christianae imbuti essent, quo tanto facilius & muneri suo satisfacerent, votumque quo se & Ecclesiae Deoque obligarunt facilius effectum darent. Nec non perspectum habebant illud, fore, ut petulans negligentia in se olim esset vindicanda. Quapropter constitutum est, ut Patris Præcipuarum fidei capitum notitiâ polleant, *Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & Rudimenta Doctrinae Divinae* teneant. Quorsum pertinet adhortatio Augustini ad Patrinos *ap. Gratian. l. c. Can. 105. Ante omnia Symbolum & Orationem Dominicam vos ipsi tenete, & illis, quos suscepistis è sacro fonte, ostendite.* Unde etiam de periculo negligentiores graviter admonet Tertullianus *Lib. de Baptismo cap. 18.* his verbis: *Pro cuiusq; personae conditione & dispositione, etiam ætate cunctatio Baptismi utilior est, præcipue tamen circa parvulos: quid enim necesse est, si non tam necesse est Sponsores quoq; periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem de-*

desituere promissiones suas possunt, & proventu male indolis  
falli.

### XIII.

Unde illud nunc sequitur, non spernendo exemplo arce-  
ri solitos ab officio suscipiendi illos, qui vel imbecillitate ætatis,  
vel pravitate ingenii, aut alia causa laborarent: illos ideo, quod  
sint vel teneriores, adeoque divinorum institutorum minimè  
capaces, propriaque informatione indigentes; vel ætate essent  
proveciores, unde vitæ spem longam sibi polliceri minimè pos-  
sent. De quibus etiam conquestus est diu J. Crus. Clar. Brunnem.  
*Porro experientia, inquit, docet in adhibendis Patrini non habe-  
ri respectum ad pietatem sed ad divitias, & Proprianari Sacra-  
mentum convivis & comotationibus. Prasertim ruri videas Pu-  
eros & Puellas vix dum adultas huic venerando negotio adhiberi*  
*Jur. Eccles. Lib. 2. cap. 1. membr. 2. §. 12. pag. m. 366.* Hos verò  
ideo; quod hæreticis & infidelibus annumerentur, cum neque pie-  
tatis instituto videretur congruere, hos & similes tanto negotio  
adhibere, merus enim de sinceritate erudiendi susceptos facile  
suboriri poterat, imò ut omnis, & hypocriseos, & periculi via  
occluderetur, ne fortè tenellus credentis animus pravâ doctrinâ  
inficeretur, sanctè mandarunt, ut parvuli baptizandi non secus  
ad Baptismum admittantur, nisi *ami ex fidelibus tradantur*,  
*Dionys. Arcopag. l. c. cap. II. §. 9. item Marcus Patriarcha Alexan-  
drinus interrogatione 35. dicit rejiciendas esse illas filiorum susce-  
ptiones, quæ fiunt per Pontificios, Armenos, Monothelitas, Ne-  
storianos, & alios his similes, conf. eo Gerbard. loc. de Baptis. §.  
269. p. 344.*

### XIV.

Hinc & illud sua sponte fuit, nihil minus cum anti-  
qua piorum praxi convenire, quàm morem illum nonnullor-  
um, qui sacrum hoc negotium in nefandum impii quæstus  
instrumentum convertunt: Multi enim dum susceptores in-  
fantibus quærent, plus solliciti de beæ stipatis muneribus,  
quam piis sponsoribus, venerabili hoc instituto abutuntur,  
quo

quo tandem fit, ut sub specie pietatis & prætextu honestatis, nundinationem, accipium pecuniæ, vel saltem splendidum amicorum numerum venentur. Nunquam hæc lucrificandi via cum instituentium rem piam animo convenit, neque impietas hæc laudanda, quæ id quod aliis iisque piis causis destinatur, in quæstus sacram famam traducit, quin imò cum fordida Simoniacæ fallaciæ sentina detestanda & damanda. conf. eo Gerb. l. c.

XV.

Munus hoc, quia lege charitatis Christianæ mensuratur, ideo, quilibet facile animadvertit, neminem vocatum ad hoc officium posse vocanti deesse, quanquam lege speciali Canonica eo prohibeantur Monachi & Abbates *D. 4. Can. 103. de Consecrat. conf. Lancelot. Instit. J. C. lib. 2. tit. 4. eo procul dubio consilio ne extra Monasteria evocentur, & negotiis alienis implicentur*, Judice Magnif: Dn. Zieglero ad *b. l. Parentes quidem naturales hoc munere defunctos esse probat Augustinus*, (aut quisquis auctor est librorum *ὑποτροφικῶν eruditorum & catholicorum* Judice doctissimo Riveto l. c. lib. 4. cap. 14. vid. & Cocus l. c.) Lib. 6. *Novimus Parvulos Parentum manibus ad gratiam sancti Baptismi deportatos*. At postea eos esse prohibitos ab hoc munere, sequens temporum praxis evincit, neque propterea penitus rejiciendus mos, sed quia instituto magis convenit alter, vel eò saltem nomine laudandus, quod mortuis etiam parentibus naturalibus, aut alia de causa ab officio, quo liberis rudioribus in primis & infirmioribus tenentur, avocatis, adoptivis gaudere possint, per quos jactura & amissio educationis resarciatur. Unde Jure libertatis Christianæ sese tueri potest Synodus Moguntina, quæ in hanc rem Canone peculiari animadvertit, verba hæc sunt: *Can. 55. Nullus igitur proprium filium, vel propriam filiam de fonte Baptismi suscipiat*. Neque eo eximuntur Episcopi apud Gregor. Turonensem *Lib. 5. c. 18. & 22.*

B 3

XVI. San

Sanctitas autem & veneratio huius ritus, vel inde etiam agnosci potest, quod misericordiae nomen exinde mereatur is, qui libere eidem operi perficiendo se accommodat, & petitioni parentum subvenit, quin imò ab eodem ne ipsae quidem virgines, quae voto peculiari religioni sese consecrarunt, excipiuntur, eò usque ut eidem quoque peragendo obligatas fuisse tradat *Augustinus Ep. 23. Multos non offerri à Parentibus, sed etiam à quibuslibet extraneis, sicuti à Dominis Servuli aliquando offeruntur, & nonnunquam mortuis Parentibus suis parvuli baptizantur ab iis oblatis, qui in illis huiusmodi misericordiam prebere potuerunt; aliquando etiam eos, quos crudeliter parentes exposuerunt nutriendos à quibuslibet, nonnunquam à Sacris Virginibus colliguntur, ab eis offeruntur ad Baptismum.*

Illud verò non prætereundum est, quod ad numerum susceptorum attinet, quem non eundem semper, sed diversum pro loci cuiusque consuetudine habuerunt: Illud certum est libertati Christianae uniuscuiusque Ecclesiae fuisse relictum, neque semper definiisse quot eorum asciscendi essent, eò usque ut hoc in capite, pro nutu & arbitrio suo interdum dispensaret: Quod tenet etià communior nostratium imprimis Ecclesiarum praxis, quae legem Hygini Pontificis sustulit de uno susceptore admittendo, & contra canonem Leonis sancientis, *ut non plures ad suscipiendum de Baptismo infantem accedant, quam unus sive vir, sive mulier*, numerum pro libertate sua auxit *vid. D. 4. de Consecr. Canc. 101. Sexti D. lib. 4. Tit. Can. 3. Lancellot Inst. J. C. Lib. 2. tit. 4. §. 5. Ziegler ad h. l. plures quam unum sponsores* recenset Polydor. *Vergil. l. c.* Aliàs verò ecclesias uno uti docet Critopulus in Conf. cap. 7. Unde id elici potest, ritum hunc nihil addere, quod ad Baptismi constitutionem pertinet, verum ex libertate Christiana usurpandum, quia verò tota etiam res ad pietatem charitatemque  
spe.



spectat, tunc facile quilibet animadvertit, rem totam ex animo agentum & instituentium intentione esse judicandam, neque eandem temere everti, aut præpostero consilio mutari debere: ea enim res argumento esse potest Ecclesiæ, quæ se morum integritate, fideique puritate commendat, quo ejus ad exemplum hodierna quoque tempora & componerentur & corrupti mores conformarentur.

### XIIX.

Postremo & illud non omittendum est, quod Jure speciali Ecclesiastico hinc translata sit *cognatio spiritualis*, orta ex stipulatione in Baptismo cum baptizato, interveniente Ecclesiâ, de illo rectè educando, inita, ob peculiarem reverentiam, quam susceptus debet suo susceptori. Contrahitur autem ea Jure pontificio *inter Baptizatum & Patrimum Patrimamve, inter eundem baptizatum & suscipientis liberos, atque uxorem ante susceptionem carnaliter ab eo cognitam, item inter suscipientem & baptizati Patrem matremque, nec non inter baptizatum & Baptizantem, ejusque filios filiasque*. Inter hos itaque vi Canonum Matrimonium non est contrahendum, aut si contractum sit, dirimendum, vid. *Decret. 4. tit. II. de Cognatione Spiritualis, tit. IV. Tit. 3. de ead. Concil. Trullan. Can. 53. Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 2. Andreas Del Vaulx in Paratitlis J. C. Lib. 4. Tit. II. de Cognatione Spiritualis. Blastaris Cap. 8. lit. B. apud Beveregium Can. Eccl. Tom. 2. p. 52. lit. E. Cassal. de Rit. Christian. Cap. 31. p. 159. Imò & poenam addit Balsamon ad Nomocan. Photii Tit. 13. Cap. 5. p. 204. ex Leon. Imperat. Qui cum ea, quam è baptismo levavit, vel sub matrimonii nomine rem habet, vel alias clam congregatur, ei cum ipsa quæ coit nares amputentur.*

### XIX.

Notanter autem dictum est cognationem hanc Spiritua-  
lem à jure humano & constitutione Ecclesiastica Rom. repe-  
ten-

tendam esse, quia si de Jure Divino quæras, nusquam invenies in scriptura S. legem hanc esse latam, quod fatetur ipse *Del Vaulx l. c. §. 4. conf. Ziegler ad b. l. in Lancellor. Lib. 2. Tit. 13. §. 1. p. 450. seq.* Quamquam ille fundamentum instituti ex sacris tabulis deducat, eamque sententiam dicto I. Petr. I, 3. tueatur, quo jure alii dispiciant. Illud verò non negandum est, consilium cognationis spiritualis non spernendum esse simpliciter, vel eo saltem argumento, quod reverentia, qua susceptus susceptori, & officium quo vicissim hic illi tenetur, magis confirmetur, attamen auctoritas ordinis Matrimonialis, imprimis ob defectum legis diviniore, videtur hanc legem evertere, idque tanto magis, quod illa reverentia & debitum non simpliciter ab actu Conjugali prohibentur. Unde Ecclesie nostræ hoc tanto majori jure ab obligatione decreti hujus absolvuntur, vid. *Carpz, Jurispr. Consistor. Lib. 2. Desin. 74.* Hæc verò & similia mihi sufficiat recensuisse, quo jure autem fiant, meum non est inquirere. Interim videri possunt Juris Canonici Doctores & Theologi citati, apud *Carpzovium loc. cit. cont. Danhav. Colleg. Decal. Disput. 16. Præcept. 6. Quæst. 9. pag. 829. item Disput. II. Præcept. 4. Part. 2. §. 1. Voëtius polit. Eccles. part. I. Lib. 2. pag. 712.* plura addere sancta legum Academicarum rationes non sinunt.

S. D. G.




05 A 1596

ULB Halle

3

003 779 661



VD17

2/1





Q. D. B. V.

DE

# CEPTO. IBUS,

EX

RIA ECCLESIASTICA,

*ate Amplissima Facultate  
Philosophica*

disputabunt

PRÆSES

REAS SCHULERUS,

Bistr. Transilvanus.

&

RESPONDENS


S ABRAHAMI, Prasmar. Transilv.

S.S. Theol. & Phil. Stud.

11. Octobr. Anno M DC LXXXVIII.

horis Pomerid.

L. C.



WITTENBERGÆ,

MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19